

siti, atque inter se pugnantes, ut patet, oportet alios præ aliis esse unius rei veros affectus, et alios falsos. Neque enim vere et ex æquo potest animus simul virtutem aut vitium colere, et odisse: « Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, aut unum sustinebit et alterum contemnet, » MATTH. VI, 24, inquit Dominus. Supponit 2. affectum nihil aliud esse, quam quando actu et re ipsa fit aliquid, quod dependet a nobis, et quod non fieret, nisi vellemus, ut cum scientes volentes non ex primo naturæ impetu, sed advertenter cogitamus, loquimur, ad quiddam agimus; ista cogitatio, vel loquela, vel actio dicitur esse affectus negativus; qui affectus tam in actu vitii reperitur, quam in actu virtutis. Unde sunt peccata commissionis et omissionis sub eadem peccati specie: « Qui ad idem ordinantur, et ex eodem motivo procedunt, » inquit S. Th. ut cum avarus rapit aliena, et non dat sua, quæ dare debet ex eodem affectu pecuniæ, et gulosus superflua comedit, nec debita servat jejunia, ex eodem etiam affectu gula. His suppositis ut cognoscatur, uter altero sit verior rei affectus, videndum est, uter sit magis liber et voluntarius. Nam hic profecto affectus est verior, qui est magis voluntarius; si magis voluntarie consentis vitio quam virtuti, magis verus est affectus vitii, quam virtutis, et affectus virtutis, quem cum senties, non erit verus affectus virtutis, sed falsus et adumbratus. Hinc illa Sancti Thomæ, et similia in prima secundæ: « Affectus in tantum est peccatum, in quantum est voluntarius, et in nobis existens. Et cum peccatum principaliter in voluntate consistat, quanto motus peccati magis est proprius voluntati, tanto peccatum est gravius. » Atque ideò Apostolus: « Voluntarie, inquit, peccantibus nobis terribilis expectatio iudicii, » id est, quo quis magis voluntarie peccat, eo terribilius iudicatur; atqui per effectum maxime probatur et manifestatur, quisnam ex multis affectus sit magis voluntarius. Nam cum affectus procedat a voluntate, et voluntas ad illum producendum suo moveatur affectu, profecto necesse est, quod effectus sit tam certum signum affectus, quam certo constat, effectum esse signum sue causæ.

Hinc S. Dominicus volens convertere alios adibat domos, et aliquandiu ibi commorans

## DUBIUM XXI.

*De Exempli Efficacia.*

Audierat frequenter citari Philothea sequentem Senecæ sententiam: « Longum iter per præcepta, breve et efficax per exempla. » SENEC. I. II, ep. VI. Sed cum ipsa fere magis per ferventes sermones aut libros devotos moveri se sentiat, dubitat de veritate hujus sententiæ, eni

## SOLUTIO.

Respondet Asceta: Duplice ex capite hanc exempli efficaciam oriri, quia fidelis instruit, eo quod non tantum doceat modum aliquid faciendi, sed etiam possibilitatem ostendat; nam ut bene notavit S. Ambrosius: « Non difficile æstimatur, quod jam factum conspicitur. » Hinc Deus S. Augustino tergiversanti, continentiam cum pueris et puellis ostendit, dicens: « Potuerunt isti, et istæ, et tu non poteris? » Idem et quisvis videns aliorum exempla. Recte ergo Sanctus Laurentius Justinianus I. I, de *Confictu interiori* cap. II. « Dabis voci tuæ vocem virtutis, si, quod suades, prius tibi cognoscaris persuasisse, validior operis, quam oris vox est, fac, ut loqueris. » 2. Etiam potentius movet. Ita Sponsa Canticoꝝ: « Trahe me post te, curremus in odorem, etc. » CANT. II, 13; alludens ad amorem columbariorum balsamo allinentium columbas, ut alias trahant. Hinc ipse Sponsus: « Surge, amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea; » nimirum sicut columbis gratus est odor balsami; ita odor virtutis hominibus. Hinc S. Chrysostomus: « Nihil adeo Gentiles arguit, ut virtus, etc. » *Hom. XII, in Cant. XII.*

Et Apostolus: « Christi bonus odor sumus in Deo, in his, qui salvi fiunt, et his, qui perirent. » I COR. I, 8.

Ideo alii idipsum magneti ferrum attractanti compararunt. Hoc instructus S. Paulus: « Sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilis humane sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis, ut fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. » *Ibid. e. II, 4.*

Hinc S. Dominicus volens convertere alios adibat domos, et aliquandiu ibi commorans

sanete vivebat. Et P. Ludovicus Gonzalez in Societate Jesu testatus est, plus se aspectu S. Patris motum, quam quacumque lectione aut concione.

## DUBIUM XXII.

*De Judiciis Humanis.*

Cum quondam Philothea S. Climacum dixisse audisset: « Prima virtus Monachi est, hominum judicia contemnere; » vehementer hoc dictum mirabatur, cum utique Superiorum et aliorum virorum sapientum iudicia non modo non spernere, sed vel maximi æstimare, audire, et sequi oporteat; a quo dubio ut ipsa liberetur

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, et pro fundamento ponit duplicis generis esse iudicia. 1. Conformia Dei voluntati, regulis, et rationi. 2. Alia his difformia; de prioribus ergo ait, recte sensisse Philotheam, de posterioribus intelligendum S. Climacum, eo quod sine tali contemptu servus Dei esse non possit, sicut S. Paulus indicavit, GALAT. X, 10. Quid enim querit Religiosus, nisi perfectionem et quietem? Atqui neutrum sine hoc contemptu obtinere potest. Non primum, quia sicut is, qui distortam habet regulam, distorta et imperfecta opera facit; ita qui hominum sinistra iudicia attendit, imperfecta facit opera, necesse est. Non secundum, quia, qui omnibus placere cupit, nunquam id obtinuit, cum impossibile sit omnibus placere, uti bene notavit pius Auctor, dicens: Multa loquuntur, et ideo parva fides est adhibenda; sed et omnibus satis esse, non est possibile. Et si Paulus omnibus studuit in Domino placere, et omnibus omnia factus est, tamen etiam pro minimo duxit, quod ab humano die iudicatus fuerit. Egit satis pro aliorum ædificatione et salute, quantum in se erat et poterat; sed ne ab aliis aliquando iudicaretur, vel non despiceretur, cohibere non potuit. Ideo totum Deo commisit, qui totum noverat; et patientia ac humilitate contra ora loquentium iniqua, aut etiam vana ac mendosa cogitantium, atque pro lubitu suo quaque jactantium se defendit. Respondit tamen interdum, ne infirmis ex sua taciturnitate

generaretur scandalum. THOM. KEMP. I. III, c. XXXVI.

Sed quid de Paulo dicimus? Quis Christo, quis Deo sanctior? Et tamen quis nescit, quam sinistra de his iudicia sint lata? Quod opus præstantius Redemptione? Et tamen quam multi carpebant? Quod opus homine nobilissimum? Et tamen quis nescit, quod etiam hoc carperit nonnemo, iudicans janam deesse? Quid ergo superest, nisi ut perpetuo turbemur? Unde recte conclusit S. Gregorius Nazianzenus, cordatis hominibus pluris faciendum, magisque curandum esse iudicium Dei, quam omnium aliorum in unum coactorum hominum. An tu, inquit, si duos homines, quorum alter acutior et sagacior, alter imperitior et hebetior esset, de eodem negotio in consilium adhiberes, recta mente præditus videreris, si relicto prudenti consilio, iudicium imperiti sequereris? An non Roboam ex eo est reprehensus, quod pro nihilo habita senum sententia juvenum consilii paruit? Et tu, cum Deus et homines inter se expendantur, iudicia hominum potiora ducis, quam Dei? Recte proin Philothea illa qui Auctoris verba sibi applicat: « Quis es tu, ut timeas a mortali homine? Hodie est, et eras non comparet. Deum time, et hominum terrores non expavesces. » *Ibid.*

## DUBIUM XXIII.

*De Alienorum Bonorum Participatione.*

Recitaverat aliquando Philothea versiculum illum Davidicum: « Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua, » PS. CXVIII, 63, sed non poterat persuadere sibi, quomodo quis aliena bona sine injuria alterius participare queat. Quare ut recte hanc veritatem capiat

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, duplici modo posse aliquem possidere bona alterius. 1. *Eminenter*, in Deo scilicet. Narratur de quodam Rege Franciæ, quod quondam titulos Imperatoris prælegi curaverit, et quando v. g. dicebatur, Rex Bohemiæ etc. et ego Rex Franciæ etc. indicare volens, hunc titulum omnes alios eminenter continere. Idem facit Religiosus verus. Sequitur S. Davidis exemplum:

« Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. » Ps. cxliii, 45. Sequitur S. Franciscum diu nocturne meditantem : « Deus meus, et omnia. » Dicit enim Habacuc : « Ego autem gaudeo in Domino, et exultabo in Deo salutari meo. » C. III, 18. Videbit, 4. quidem habere voluptates in cibo et potu, in tactu, etc. sed mox dicit : « Deus meus et omnia. » Aut cum S. Paulo : « Propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercorea. » Ad PHILIP. III, 8. Sicut ergo nemo invidet alteri comiti ob lutum adhærens, ita nec habenti voluptates sensuales. Videbit, 2. alios honoribus et laudibus affici ; sed ego in Deo : « Nimis honorificati sunt amici tui, Deus, Servire Deo, regnare est. Laus mea tu es, etc. » Videbit, 3. alios habere multos amicos, fautores, patronos, etc. sed dicit : « Ego in Deo. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. » Iste vult, scit, et potest, etc. « In te, Domine speravi. Dixi, Deus meus es tu. » Videbit, 4. alios in divitiis, sed ego in Deo, « Deus meus et omnia. » Vere divitiae sunt, quæ nos virtutibus divites faciunt. « Quærite Regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. » MATTH. VI, 33. Videbit, 5. aliis officia honorifica applicari ; sed ego in Deo. Quinimo beati, qui audiunt, etc. » Videbit, 6. alios scientiis pollere ; sed ego in Deo : Christe, scient quæcumque alii, mihi sufficit una cognitioque tui, cognitioque mei : « Ego autem nihil existimavi, me scire, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. » Accedit, quod tota felicitas consistat in voluntate Dei adimplenda ; hæc autem in quocumque opere unus tam bene adimplere potest, ac alius ; ergo omnia bona vera alterius participabit.

2. *Formaliter* participare potest per charitatem, ut præclare S. Augustinus notat : « Congaude illi, cui Deus aliquam gratiam dedit, et potes in illo, quod in te non potes. Ille habet forte virginitatem ; ama illam, et tua est. Iterum tu habes majorem patientiam ; diligit te, et sua est ; hoc ideo, quia in illo tu es. » Per proprietatem enim non es tu, per charitatem tu es ; quibus verbis allegoricis ostendit pulcherrime fundamentum, propter quod alterius bonum etiam nostrum censere debeamus, scilicet quia unum sumus, propter triplicem titulum : Primo, quia unius naturæ ; si ergo omnia animalia ex ipso naturæ instinctu com-

mune reputant damnum vel bonum, quanto magis ii, qui natura rationali sunt præditi ? Secundo, quia *Fratres* nobili Christi sanguine procreati. Quis autem non quotidie experitur, quantopere se promoveant fratres ? Pulchrum exemplum habemus in Rebecca, cui dixerunt : « Soror nostra es, crescas in mille millia. » GEN. XXIV, 60. Quanto magis fratres spirituales, cum bona hæc quanto præstantiora, tanto digniora congratulatione. Tertio, quia membra ejusdem corporis. Ita S. Apostolus : « Sicut corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen sunt ; ita et Christus (inmo et Religio). Deus temperavit corpus ei, cui dederat, abundantiorum tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore, sed et ipsa pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra ; sique gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. » I COR. XII, 12.

Ita profecto primi Christiani, quorum anima una, et cor unum erat. Hinc communis erat vox de illis : Ecce quomodo amant se, etc., si isti, quanto magis Religiosi, qui ut arctissime cum centro debent esse conjuncti, ita magis conjungi debent esse conjuncti, ita magis conjungi debent inter se, atque adeo omnia communia reputare.

## DUBIUM XXIV.

*De Locutione.*

Audierat Philothea quondam illam Christi sententiam : « Ex abundantia cordis os loquitur, MATTH. XII ; » citari, sed sensum illius non satis assequeratur ; quare eundem sibi explicari petiit ; cui

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, multas quidem causas esse, ob quas ex abundantia cordis os loquitur, sed eam maxime, quam Thomas Kempensis indicavit dicens : Quare tam libenter loquimur, et invicem fabulamur, cum tamen raro sine læsione conscientie ad silentium redimus ? Ideo tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus, et cor diversis cogitationibus fatigatum, optamus relevare. Et multum li-

benter de his, quæ multum diligimus, vel cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui, et cogitare. L. I, c. x. Quibus verbis clare satis ostendit duplicem esse causam, cur de hoc vel illo objecto libenter loquimur. Prima est, revelatio cordis ; est enim cor nostrum musto simile, quod expumare nisi permittatur, omnia vasa dirumpit. Hinc S. Bernardus : « Suppressus dolor altius introrsus radicat ; eo acerbius fructus, quo non est exire permittitur. » Ser. xxvi, in *Cont.*

Habet enim speciem ignis, teste Petro Blessensi ; quia quo plus tegitur, plus ignescit. Cujus rei causam dat S. Thomas : « Omne novicium interius clausum magis affligit, quia magis multiplicatur intentio anime circa ipsum ; sed quando ad exteriora diffunditur, tunc anime intentio ad exteriora quadam disgregatur, et sic dolor minuitur interior. » II, II, q. xxxviii, n. 2.

Sed et S. Nilus : « Uti nubes dum dense sunt et obscure, tum aquis turgent, at postquam eas effuderint, clarescunt et splendide fiunt ; sic quædam quis a tentationibus suis onustus et gravis incedit, in magna tristitia confusus angoribus vivit, et melancholia repletur ; at hoc onus a se excutiendo, quando id excutit, et a se abjicit et alteri manifestat, cor alleviatur, tristitia mitigatur, homo quiete et gaudio delinitur. Altera causa amor est, qui verba dicit, et eructat, ut ipsius natura ostendit, cum enim amoris effectus potissimus sit, unire amantem et amatum, si hoc obtinere corporaliter non potest, spiritualiter obtinere studet, per memoriam, per quam amatus spiritualiter quodam modo in altero existit. Quia vero memoria nullibi fere magis, quam per locutionem excitatur, ideo de his, quæ amamus, libenter loquimur. Et hoc videlicet ipse Sponsus sub calculo approbavit, dum dixit : « Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis etc. » CANT. II, 14. Quæ enim convenientia inter vocem et faciem ? Quid pulchritudo faciei ad vocem confert ? Multum profecto ; nam dum facies formosa generat amorem, hoc ipso facit, ut etiam vox grata sit, quia memoriam amati excitat. Hinc ipse Sponsus : « Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua. » CANT. IV, 11.

Patet ergo, quam vere dicatur, ex abundantia cordis os loqui ; quamque verum sit tritum illud : Qualis constitutio, talis locu-

tio. Ut merito Sapiens dixerit : « Adolescents, loquere, ut videam te. » Unde patet, quam libenter Religiosi de rebus spiritualibus loqui debeant. Hic enim proprie locum habet illa S. Jacobi sententia : « Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. » Unde enim colligi potest, Religiosum esse, nisi ex loquela. Profecto hic occini potest illud Judæorum : « Nam et loquela tua manifestum te facit. » Hujus rei præclarum testimonium dedit ipse Spiritus S. apprensus in desperitis igneis linguis, ut ostenderet illos, qui Spiritu S. repleti sunt, ferventer de spiritualibus loqui debere. Hinc Apostoli cooperunt loqui magnalia Dei. Merito ergo audiendus S. Hieronymus dicens : « Felix lingua, quæ non novit, nisi de Divinis tenere sermonem! » Ad EPH. IV, 29.

Sed et S. Apostolus dicens : « Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus, ad edificationem fidei, id est gratiam audientibus. » Et ut ait : « Verbum sanum irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens dicere de vobis. » II Ad TR.

Sed potius dicamus cum Philosopho : « Ego ita me geram, ut nemo crediturus sit mihi detractanti, nomenque meum laceranti. »

## DUBIUM XXV.

*De Sancta Stultitia.*

Legerat aliquando Philothea S. Paulum dixisse : « Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus ; » (I COR. II, 26.) quæ verba cum contradicere sibi videantur, merito genuinum illorum explicationem petit Philothea, cui.

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, aique pro fundamento supponi debere, quid sit sapientia ; nimirum scientia finis et mediorum. Hinc enim sapientia, id est, *sapida scientia*, dicitur, quia satiat animam, atque adeo bene sapit. Ex quo deducitur, sicut communiter duo sunt fines ; unus Mundanus, quem mundus sibi præfigit, alter Divinus, quem Deus præscribit ; ita duplicem quoque stultitiam et sapientiam esse. Quem autem finem sibi præ-

figit mundus, patet per se, scilicet voluptates carnales, et honores, et quæ ad hæc ducunt; qui ergo hunc finem præfigit, et ad hunc omnia media ordinat, hic sapientiam mundanam habere dicitur; qui vero hæc contemnit, stultus. E contrario vero, qui sibi finem præfigit amorem Dei et similitudinem Christi, et ad hunc finem ordinat omnia, hic enim vero stultus quidem mundo, sed sapiens coram Deo reputatur; qui vero negligit, quomodocumque sapiens mundo videatur, stultus est, quia, teste S. Paulo: « Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. » I Cor. iii, 19.

Talis stultus erat S. Paulus, quando dixit: « Nos stulti propter Christum etc. » I Coa. iv, 10. Quare, quæso, propter Christum? Quia propter Christum « omnia detrimentum fecit, et arbitratus est ut stercorea, ut Christum lucrifaceret; » Phil. iii, 8. id est, ut illi similis fieri, et dicere posset: « Vivo autem jam non ego, etc. » Et hæc videlicet est sententia, quam ambire, et sectari debemus, omnia detrimentum facere. Quare audiendus Apostolus: « Nolo vos ignorare, Fratres, mysterium hoc; ut non sitis vobis sapientes. Si quis ergo videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens. » Ad Rom. xi, 25.

Vere enim, quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat Deus sapientes. Et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, ut ea, quæ non sunt, destrueret. Hanc amavi, et exquisivi; hanc optavi, et invocavi etc. hanc ergo stultitiam æstimemus, hanc desideremus, hanc quaeramus, ut veram sapientiam inveniamus, et dicere olim cum Sapiente possimus: « Venerunt mihi omnia bona pariter, et innumerabilis honestas per manus illius, et lætatus sum in omnibus; quoniam in omnibus antecedebat me ista sapientia. » Sap. vii, 11.

## DUBIUM XXVI.

De Corpore tractando.

Advererat quondam Philothea, non modice animam suam a corpore aggravari; quare desiderans amovere hoc impedimentum, quærit, quomodo id obtinere possit? Cui

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, commode id S. Davidem docere, dum ait: « Ut jumentum factus sum apud te. » Ps. lxxii, 23.

Quibus verbis tria circa corpus observanda esse, quæ Siracides indicavit dicens: « Cibaria, et virga, et onus asino. » Eccl. xxxiii, 25.

Et 1. quidem *cibus* ei perinde ut jumento prebendus; hinc sicut certa tempora in pabulo offerendo observantur; ita et in cibo ac potu curandum, ut extra consueta tempora refectionis non facile comedatur et bibatur. Certe S. Philippus Neriis hoc tanti fecit, ut dixerit, neminem fore virum spiritualem, qui extra tempora prandii et cœnæ aliquid bibit, et comedit. Dein sicut eques pabulum in certa mensura apponit, cavetque, ne jumentum nimio aestu incensum sumat avidè nimis potum, vel cibum; ita et id ipsum in cibo, potive corpori prebendo observandum. 2. *Virga*, id est, castigatio adhibenda; nam Ascetæ recte monent, nunquam etiam a sanctissimis viris omittendam esse corporis castigationem; sed perinde ac eques, dum equum conscendit, etiam non peccanti equo calcare aut virgam infligit, ut ipsum timere discat mitiusque ac cautius ambulet; ita ob eundem finem semper castigandum corpus esse, ut sciat, subesse se debere animæ, minusque negotium facessat, id quod S. Paulus suo exemplo confirmavit, dum dixit: « Castigo corpus meum, et servituti subicio, ne dum aliis prædicaverò, ipse reprobus efficiar. » I Cor. ix, 15.

3. *Onus* quoque, seu labor, imponendus, ita tamen ut in impositione ejusdem illud Salomonis observetur: « Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia, » Prov. xii, 10; atque adeo discretio sit observanda, ne dum nimio jumentum seu corpus onere laboris gravemus, etiam ipsi animæ velut equiti periculum ruinae, aut gravium incommodorum creet, sique, ut S. Bernardus ait: « Corpori effectus, animo affectus, proximo exemplum, Deo honor subtrahatur. »

## De Castigatione corporis.

Adverit Philothea nonnullos adeo ferventes esse in castigatione corporis assumenda, ut notabiliter corpus ledant; accenditur proinde desiderio imitandi, sed, an licitum sit, dubitat, quæritque.

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, et cum Theologis supponit, nos vitæ nostræ dominos non esse, ejus dumtaxat nobis usum fructum a Deo concessum, cujus aliquando ratio a nobis sit exigenda; unde istud inter Theologos receptum est, posse nimio penitentiarum excessu lethale crimen admitti. Non possum licentius de vita mea corrumpere, aut demere aliquid, quam de vita proximi; imo ad meæ conservationem magis quam ad alterius, bene constituta, ordinataque charitas obligare me censetur; hinc nimia in se suumque corpus sævitia, qua illud fractum, quassatumque munis suis obcundis impar et ineptum redditur, aut in mortis periculum aperte deducitur, a S. Hieronymo, et post illum ab Angelico Doctore, tanquam aliquid a ratione exorbitans obelisco configitur. Potest aliqua in corpus velut perduelle et fraudulentum, exteñscentia, et damni ab illo emanantis severa quedam ultio excusari, præsertim si a viro prudente cui conscientia nostræ arcana commissimus, permittatur, nec ego, si hoc modo decem annos de vitæ meæ decursu adimam religioni duxero, cum de vitæ conservatione, non tam scrupulose sollicitum me esse oporteat, quam de virtutum meritumque incrementis, et animi sempiterna salute. Non teneor mediis omnibus possibilibus vitæ producendæ anxius studere, nec medico alicui morem gerere, qui, si aquæ potu non abstineream, vinoque non utar, decennio toto citius me moriturum pronuntiat; neque medicamentis uti, quibus ad decem annos prorogaturum me vitam cognoscerem; neque similibus de causis victum mutare, aut domicilium; mihi enim doctissimorum virorum hæc in parte pronuntiatam omnem in hisce dubitandi materiam, omnemque scrupulum adimunt. Ad quorum confirmationem adducit idem Asceta S. Theresia exemplum, quæ, ubi distinxit, quid sanctorum res gestæ ad-

mirandum, quid imitandum proponant, tria notanda suggerit. Primo, non paucos esse ex iis, qui perfectioris vitæ studium proflicentur, tam abjecti passillique animi, ut sibi maximas impendere miseria arbitrentur, si ut animo excolendo liberius vacent, de cura corporis nonnulli remittant. Quin potius ubi omnia corpori necessaria suppetant, tum animam curis expeditum liberius ad celestia tendere, secumque habitare persuasum habent. Unde fit, ut res nihil æque illos perturbent, an alios res magni momenti sibi tamen blandiuntur, ac se de illorum esse numero opinantur, qui serio virtutem consecretantur; volunt animi negotia ita cum corporis accuratione componere, ut cum utroque pacem habeant, Doque simul interea tranquille fruantur. Qui ita ingreditur, ait ipsa, gallinæ passu procedit, nec unquam veram spiritus libertatem assequatur. Secundo ait, plerosque eorum, qui conscientias regunt, immoderata hæc in parte discretionis laborare, ac per ipsos stare, quo minus incipientium plerique tam cito ad perfectionis culmen evadant, dum illis nimium parcent; nunquam enim divine gratiæ nobis deesse subsidium. Tertio monet, ne in hoc negotio nobis a demone patiamur illudi; illum enim ubi meticulous non esse adverit, continuo accurrere, timoremque augere, ne minima quæque sanitatem ledant, brevique tumulto inferant. Ubi ego, inquit illa, hæc demonis arte, fraudemque deprehendi, meque perdentes sanitatis et quietis metu velle perturbare; ejus machinas hæc responsione disjeci: Parum interest, dixi, si sanitate excedam, quia parum etiam refert, si brevi e vivis decedam; quod attinet ad quietem, illa non ego, cum cruceo dumtaxat ambiam, easque sectari proponam; docuit me tum ac deinceps experientia, ubi sanitatis et corporis curam abjeci, me meliori, quam antea, valetudine frui. Apud PENNEQUIN, p. III, e. vi.

## DUBIUM XXVIII.

De Morbo desiderando.

Legerat aliquando Philothea, viros sanctos sibi, et aliis morbos optasse, et a Deo petisse; quod quia contra ordinatum sui et aliorum charitatem fieri vult, merito dubitat, an licitum sit?

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, morbum duobus modis considerari posse; uno, ut est sanitatis privatio; altero, ut est palæstra virtutis, qua et animus coronas sibi et Deo gloriæ augmentum elaborat. Ac primo quidem modo nullas habet excitando desiderio illecebras, cum sanitatis bonum destruat, et corporis animique functionibus tam publicis, quam privatis non parum incommodet, dominamque, ut ancillæ famuletur, quibusdam quasi compedibus astringat, aliisque quorum cura indigemus impedimentum adferat; cumque Christus, ejusque Mater Maria omni morbo caruerint, id indicio est, in illis nihil per se boni delitescere. Hæc tamen non obstant, si morbi aliis nominibus et titulis honestentur, quin expeti possint et rogari: v. g. ut carni ferocienti, aut per vitia palamundæ frenum injiciatur; ut homini cum detrimento salutis negotiorum multitudine occupato, detur aliqua vacandi sibi occasio, ut virtutum plurimarum suppeditet materies, ut malum aliquod impendens avertatur, ut prudentia peccatorum debitis fiat satis; quæ fere omnia paucis hisce verbis complexus est Angelicus Doctor, dum rationem adfert, cur Divina providentia penas a peccato Adami in posteros derivatas, in diversis diversas repartiri voluerit, inter cætera inquit: « Propter remedium salutis ejus, qui hujusmodi penalitatibus subditur, ut scilicet per hoc a peccatis areatur, aut etiam de virtutibus non superbiat, et per patientiam coronetur. » P. II, q. XVI, a. I ad 4.

Quo in genere omni admiratione dignum esse iudico (quod etiam suo calculo celeste Numen approbasse videtur) facinus B. Joachimi Senensis, ex Ordine Servitarum. Consolabatur hic ægrotum in nosocomio epilepsia laborantem; qui mali acerbitate abreptus: O Pater, inquit, facile est, cum sani sumus, alios ad patientiam adhortari; si paribus mecum doloribus agitareris, aliter loquereris. Hic insolito charitatis æstu concitatus B. Joachimus: Quid ais, inquit, mi frater? Ego te hoc tuo morbo tam beatum existimo, ut Deum ex intimo corde deprecer ut te liberet, illumque in me transferat. Utrobique exauditus fuit; nam et æger continuo sanus lectulo exiit, et vir sanctus se epilepsia contactum sensit, quam ad mor-

tem usque magno animo, Deo gratias agens, pertulit, hoc velut charitatis suæ præmio donatus, ut feria sexta in Parasceve, cum in Evangelio legeretur de Christo: « Et inclinato capite tradidit spiritum, » ipse etiam animam efflavit. Ut tamen caute in hoc negotio procedatur, prudenter monet, observandum S. Borgiæ factum, quod sic narrat P. Petrus Pennequin: Rogabat Beatum Borgiam socius ejus, et itinerum comes P. Bustamantius, id sibi a Deo impetraret, quod potissimum pro se Franciscus efflagitabat. Annuit hic, et ut votis Bustamantii Deus annueret, prostratus rogat, et obinet. Ecce ibi dolor capitis Bustamantium occupat, vehementer exagitat: Hæc scilicet erant B. Borgiæ vota, ad has cruces totis medullis aspirabat, cœlumque, ut sibi illæ concederentur, crebris precibus pulsabat; sed non erat ea mens Bustamantii, qui continuo temeritatis culpam agnovit, pares animi cum gigante vires non esse confessus est, Franciscumque rogavit, ut quem evocarat, dolorem expelleret. Subrisit Pater hominemque solatus, iterato Deo supplicans, malum omne est amolitus.

## DUBIUM XXIX.

*De liberatione a Morbo petenda.*

Ægrotabat aliquando Philothea, et cum graves dolores sentiret, Cœlites assiduis precibus fatigabat, ut liberationem a morbo impetrarent; sed cum nihil impetrasset, dubitat, an non per similes preces Deum, Cœlitesque offendit? cui

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, negari non posse, supplicationes isto tempore Deo esse acceptissimas, hominesque generoso et patienti avidos, ad preces ingeminandas etiam isto tempore ab amore sancto incitari, non ut morbo liberentur, sed ut gratiam impetrent, qua ad Dei gloriam bene utantur, divineque providentiæ placita adorent, dicantque cum Propheta: « Benedicam Dominum in omni tempore. » St amiel pro ejus incolumitate preces fundant; si novemdialia vota multiplicent, et pro restituenda sanitate sacrificia et eleemosynas offerant, ille in interiori et recondito animi sacrario ea omnia

ad ejus gloriæ amplificationem divinæque voluntatis beneplacitum tranquille et humiliter representat; non quod honestum non sit, Deoque gratum, sanitatem ad Dei obsequium, animoque ad divina placita excipienda comparato instanter flagitare; verum divinus amor ad altiora semper volatum intendit, et ab omni eo, quod quomodocumque amori proprio blanditur, quam maxime potest, recedit, mavultque in Dei beneplacito se quodammodo omnium commodorum oblitus perdere, quam vel tantillum naturæ propensionis deservire. Qua in re suam opinionem S. Franciscus Salesius sincere aperuit. Cum enim gravi capitis dolore laboraret nonnemo, et se ad muneris sui functiones parum habilem persentiret, Deum rogavit, malo ut levaretur; mordente deinde animo conscientia, an non id postulando a perfectionis semita deflexisset, dubitare cœpit, et hæc de re ad B. Franciscum Salesium scribere, qui in hunc modum respondit: Supplicatio, quam pro dolore capitis amolendo Deo fecisti, non est ex prohibitis; sed tamen, mi Deus! non possem ad tale quid postulandum animum meum inducere. Immens amoris sancti præscripta aliquid perfectius exigere, quod ipse morbi sui tempore constanter fecit, hæc ore sæpe ingeminans: Novit Deus, quid mihi utilius sit. Dominus est, quod in oculis suis placitum est, faciat. O Deus! tua, non mea fiat voluntas. Ita, Pater cœlestis, ita volo, quando tibi ita collibitum est. Ita, Domine, ita apud me firmiter constitui, ut lex tua et voluntas tua impressa, insculptaque regnet in medio cordis mei. Addebat insuper morbos diuturnos palæstram esse, scholamque misericordiæ illis, qui ægrotis assistunt, et patientiæ his, qui cum doloribus conflictantur. Illos Beatam Virginem et S. Joannem adstantes cruci imitari; hos vero Christum cruci affixum cum cruciatibus colluctantem, a qua cum refigi et deponi non rogarit, qui exemplo ejus perfecte vult insistere, morbi levamentum, aut remissionem petere non debere. His tamen non obstantibus puto, ait Asceta, etiam aliquando ab amore sancto injici quibusdam viris, qui nihil aliud respirant, quam Dei gloriam, mentem petenda sanitatis, uti a Bernardo factum legimus. Laborabat ille morbo gravissimo, quem peracuti, et propemodum intolerabiles capitis dolores comitabantur. Jussit unum ex monachis adstantibus ire ad templum, et Deum

pro restituenda sanitate deprecari; cumque aller se excusaret, diceretque se indignum, qui alicui incolumitatem impetraret, jussit ire in virtute obedientiæ, ivit, et ante tres aras, unam B. Virgini, alteram S. Laurentio, tertiam S. Benedicto consecratis prostratus preces fudit, qui continuo tres simul ore sereno se Bernardo videndos dederunt, et partes magis affectas tangendo, confestim illum persanarunt. Credo S. Bernardum in hoc facto solam Dei gloriam spectasse, et non tam sibi, quam alterius profectui preces imperando, cum magna animi tranquillitate, studuisse.

## DUBIUM XXX.

*De Medici in Morbo adhibendis.*

In eodem morbo adhuc constituta Philothea, dubitat in primis, an medici opem, salva perfectione, implorare possit; deinde cum amaras et pretiosas præscripsisset, an eum medico obviare teneatur. Ad quod utrumque dubium

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, se nullam videre obligationem in utroque casu, nisi in gravi mortis periculo. Hinc Sanctus Bernardus dubiis quibusdam hanc materiam spectantibus a Monachis S. Anastasii propositis respondet, scire se locum, in quo degerent, insalubrem esse, eorumque non paucos variis inde morbis tentari, ideoque meminissent ejus, qui dixit: « Libenter gloriabor in infirmitate meis, ut habitet in me virtus Christi. » Compati se ægreditinibus corporis, sed animorum morbos magi pertimescendos; quapropter neque pro bono monasterio, neque pro animæ salute expedire, ut pharmacis et medicamentis utantur. Permitti quidem posse, ut vilibus herbis, sicut pauperes decet, interdum utantur: « At vero, inquit, querere medicos, accipere potiones, Religioni indecens est, et contrariam puritati, maximeque Ordinis nostri. Hæc omnia enim gentes inquirunt; seimus autem, quia in carne qui vivunt, Deo placere non possunt. Spiritualia proinde spiritualibus comparanda, et querenda potio humilitatis, et clamandum in toto corde: Sana animam, Domine, quia peccavi tibi. Huic sanitati, Fratres dilectissimi,

operam date, hanc sectamini, hanc servate, quia vana salus hominum. » Et hanc sententiam se Dei lumine hausisse audacter pronuntiat. At enim : « Credo autem ego, quod Spiritum Dei habeam, et consilium Dei in hoc. » Sed et Sanctorum exempla id confirmant. Nam Sanctam Agatham nobilissimam Martyrem Apostolo Petro ad ejus sananda vulnera accedenti dixisse lego : Medicinam carnalem corpori meo nunquam adhibui, et vero etiam tum proposuerat nullam admittere. Ad Sancti Pachomii Monasterium nec medicis, nec eorum medicamentis patebat ingressus, quin imo venerabilem senem, et magna virtutis virum Zacchaum nomine reprehendit ipse Pachomius, quod sanandis manuum scissuris a palmarum foliis, quibus natas conficiebant, provenientibus oleum adhibuisset. Centum et triginta Moniales in S. Euphrasie Cœnobio eundem rigorem servabant, Palemon, Pachomi frater, quod aliorum precibus inductus stomacho debilitato refocillando aliquod præter consuetum sumpsisset, continuo velut Instituti anachoretici violator nimis erga se remissionis ac indulgentiæ a Deo veniam petit. Verum etsi hæc apud viros illos sanctissimos et severissimos ita se habeant, alii tamen Asceta, ab amoris perfecti prescriptionibus illum non recedere, qui, dum morbus præter solitum aggreditur, medicum accersit, et Dei spiritum velut momentem audit : *Honora Medicum propter necessitatem.* Hoc e sacris paginis de promptum consilium secutus sanctus Joannes Chrysostomus Olympiadem morbis et tristitia oppressam ad medicorum quaerenda subsidia amandat : « Quamobrem, inquit, hortor, ut varios presciosque medicos adhibeas, et iis medicamentis utaris, quæ hujusmodi morbos expellere queant. » Hanc orbitam omnes fere Sanctos (si paucos illos, quos supra nominavi, cum quibusdam aliis, excipias) communiter tenuisse reperies, quam etiam Sanctus Bernardus aliorum jussu insistere coactus est, dum a Capitulo Generali Clarevallis habito, Episcopo euidam ejus perstudioso obedientiæ commissus, atque concreditus (qui ad eum persuadendum miro desiderio ferebatur) atque ab hoc rusticani ejusdam medici disciplina et curationi traditus, annum integrum medicinaliter vivere et potionibus remediisque ab illo prescriptis uti jussus est magno fastidio, nullo emolumento. Beatus Franciscus Salesius nostris temporibus, cum ex morbo

decumberet, rogareturque, an hoc, vel illud expeteret, an libenter venæ sectionem, aut scarificationem admitteret, nihil aliud respondebat, quam facite de me, quod lubet, quandoquidem me Deus in vestra medicorumque potestate posuerit.

## DUBIUM XXXI.

*De Obedientia Medico præstanda.*

Accidit, ut Philotheæ medicus etiam juvenilis et Horarum Canonicarum recitatione interdiceret, e contrario vero carniem, aliorumque ciborum in diebus abstinentiæ vel jejunii vitiorum usum prescriberet; quod ipsi quia difficillimum videbatur, dubitat, an eidem obedire teneatur?

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, varias fuisse hæc in re Sanctorum praxes. S. Ignatius Loyola a medico non adeo experto contra morbi rationem se tractari permisit, præ nimio astu ad extrema redactus, cum morbus frigidioris auræ aspirationem, secundum medici peritioris, qui evocatus fuerat, judicium resposceret. Idem vero ultimis magni jejunii diebus ad medici prescriptum carnem in cibum admisit, ad tam cæcæ obedientiam medico attonito. Legimus sanctum Abbatem ad carnes edendas die vitæ ex regulis Cœnobii Novitium ægrotum mandato et exemplo suo induxisse, idque Deum acceptum habuisse, et dæmonis ex energumena corpusculo ejectione testatum esse. Opposita via incessere Sanctorum aliqui non minori sanctorum illustres. S. Franciscus de Paula, etsi Fratrum suorum precibus fatigatus, induci nunquam potuit, ut morbi tempore aliis, quam cibus quadragesimalibus, vesceretur, etsi aliis, dum ægrotarent, oppositum imperaret. Cum S. Justiniano Patriarchæ, ut carnis æger uteretur, exemplo viri sancti persuadere vellent, respondit : Unusquisque in suo sensu abundet, de cætero malle se antiquorum rigidis abstinentiis atque vestigiis insistere. S. Nicolaum Tolentinum ex gravi decumbente morbo ad carnium esum sollicitabant astantes; abnuit ille constantissime, et cum nihilominus ad ejus conspectum allate essent : *Amovete,*

inquit, istas illecebras, quas tam sæpe corpori meo admodum similia concupiscenti lucusque denegavi. Cum tamen Ordinis Generalis Prior superveniens in virtute obedientiæ mandasset, ut aliquid acciperet, bolum dumtaxat sumpsit, et continuo sanitati est restitutus. Videbuntur fortassis alieni hæc inter se pugnare, et horum in recusando constantiam, aliorum in admittendo facilitatem condemnare; sed longe aliter se res habet; utrumque in eundem divini beneplaciti scopum collimat, et alii abstinentia, alii vero humilitate et proprie voluntatis abdicatione eo nituntur. Si quæris ex me, quos imitari debeas, suadeo obedientiæ ductum sequaris. Non ad eam tu cum Francisco de Paula, Justiniano, et Nicolao virtutis præstantiam, et cum Deo familiaritatem proventus es, ut, quid a te hic et nunc exigat Deus, perfecte cognoscas, aliorumque sententiis, et monitionibus tuum ipse judicium anteponas, te potius ad infantilem infantium redactum existima, qui alieno regi debeas arbitrio, præsertim tibi ad illud medicorum consensum accedit.

## DUBIUM XXXII.

*De Ciborum Electione in morbo.*

Experta erat Philothea sibi aliquas medicinas ab alio tempore adhibitas perquam salutare fuisse, sed ciborum fere omnium, præter unum alterumve, nauseam se habere; dubitat proin, an contra perfectionem sit actura, si tales medicinas aut cibos ipsa suggerat, petatque?

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, non improbare hoc divinum amorem, si cum perfecta animi submissione id facias. S. Chrysostomum in exilio stomachi doloribus laborantem ab Olympiade medicamentum, quod alias utile expertus fuerat, per litteras postulasse legitimus : « Des operam, inquit, ut idem rursum medicamentum ad nos mittatur. *PENNEQUIN*, p. 3. c. VIII, n. 24.

S. Franciscus Assisias, abstinentiæ prodigium, morbo conflictatus, ad nobilem matronam Romanam Jacobam de Septifoliis litteras dedit, ut veniret, si videre se vellet in

visis, additque : « Portes cum pannum, et cilicium, in quo corpus meum involvas, et ceram pro sepultura; rogo etiam, quod portes de illis comestionibus, quas mihi consuevisi dare, quædo infirmabar Romæ. » Erat autem ex saccharo et amygdalis, aliisque similibus confectum edulium. En duos viros sanctimonie laude facile principes, qui morborum solatiola emendicant, cælo votis illorum suffragante. Antequam enim Francisci litteræ Matronæ isti redderentur, illa nocte ab Angelo monita, ut cito pergeret ad S. Virum, nec quidquam eorum, quæ petebantur, prætermitteret. Nec est, quod suspicari quis audeat, eos ad similia postulanda ex animi mollitie descendisse. Nimis amabat Chrysostomus corporis cruciamentum, quæ Imperatorum coronis preferbat. Nimis S. Franciscus, cui gravius solito laboranti cum Frater assistens diceret : Ora Dominum, ut mitius tecum agat, manum enim suam super te plus solito gravare videtur. Continuo ad illum cum clamore conversus : Nisi, inquit, noscerem in te simplicem puritatem, tum ex nunc abhorrerem consortium. Et in terram prostratus exhausto corpusculo eam deosculans, ait : Gratias tibi, Domine, ago, pro his omnibus doloribus meis, et rogo ut centaphum, si tibi placuerit, adicias, quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore non parcas. Poteris igitur et tu, tantorum virorum imitatione, ea, quæ ad mortis levamentum facere videbuntur, modeste postulare, et, si negentur, placide acquiescere; si vero repulsam ægrè feras, si animum exulceratum querelis ostendas, si similia aliis procurari, te vero negligi declamites, scias te ab amoris perfecti legibus longe aberrantem, ad amoris proprii sordida declinamenta prolapsum esse, misereque deludi; tecumque melius omnia processura, si hoc S. Bonaventuræ monitum dictum tibi existimes : « Indulgentiæ proprio judicio non sunt admittendæ, non tamen sunt recusandæ alieno, a se ipso in se ipsum rigida debet esse censura. » Legimus Deum etiam præter naturæ cursum favisse ægrotum desideris. P. Petro Canisio submisit per fenestram aviculam, quæ illi in edulium pararetur; ad S. Coaris intercessionem Abbatii ægroti lucium piscem; alteri media hyeme ex arbore gelu perusta cæcra rubentia; Card. Bellarmino post ingentem ab igne fortuito arborum devastationem, et nominatim ficulnea, natas ex ea repente fi-

cus pulcherrimas. Quis hanc Dei indulgentiam recensendam iudicat? Que si Deo miracula faciente admittenda videantur, cur non etiam Prælo imperanti? Egrotabat Clarevallii Gulielmus, ex disciplina S. Bernardi ad aliud pedum assumptus, qui ex occasione Clarevalliem diverterat. Cumque jam utcumque morbo se remittente convalesceret, voluit abstinere a carnibus, et communem Ordinis rigorem; sequi obsistebat Bernardus, monebatque ut differret ad aliquot dies et dispensationis beneficio frueretur; sed frustra, pertinaciam æger constantiæ velo obductam Sancti monitis opposuit; separantur ambo, et alter ad Completorium, ad lectulum alter secedit. Et ecce continuo febris hominem, ut satelles Numinis invadit et tam crudeliter exercet, ut se a morte propius adesse crederet, optaretque cito diluascere, ut S. Bernardum evocare posset, et contumaciæ suæ veniam petere; qui ubi venit, hominem severius solito intuitus: Quid tandem, ait, hodie comedes? Heu! inquit, æger, quidquid præceperis. Bene, inquit, Bernardus, quiesce modo, non morieris. Et continuo febris abcessit, suo nimirum perfuncti officio, quæ ut hominis perverciam castigaret, a Deo immissa fuerat. Non tam benigne cum altero æque contumaci egit divina Majestas, qui Prælo carnium esum præcipientem morem gerere noluerat; is enim paulo post tam ardentem et præpostera carnium appetitione insanit, ut e valetudinario furtim se surripiens ad instar lupi, cadaveri dentes infingeret, ut inde carnium frustra convelleret.

## DUBIUM XXXIII.

## De Bona Voluntate.

Audierat sæpe Philothea, voluntatem a Deo pro opere computari, quod sibi persuadere non poterat, cum legerit quondam inferorum ergastulum plenum esse bonarum voluntatum. Ad quod dubium

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, dictum hoc de inferno inscite et insulse prolatum esse; quomodo enim locus omnium malorum et scelerum colluvione refertus, tantum bonum, quan-

tum est voluntas bona, sine suo complecti potest? Distinguenda igitur est vera voluntas a fœcta, ut sic loquar, velleitate, quam homo tum habere dicitur, cum loquitur secum hoc modo: Vellem quidem hoc agere, vellem ab hoc me abstinere, sed quia difficultas magna pervincenda est, nihil hæc in parte aggredi volo, sed omnia potius intentata relinquere. Altera vero, quæ voluntatis nomen meretur, non ita se habet; sed dum illa hominem sollicitat, ita secum ille ratiocinatur: Volo id agere, volo id declinare; sed quia plus voluntatis habeo, quam facultatis, ideo doleo, quod pro voluntate nec illud exequi, nec hoc possim effugere. Prior inferos replet, non hæc posterior, de qua S. Augustinus hoc habet elogium: « Quidquid vis, et non potes, Deus factum computat. » In Ps. LVII.

Vidit aliquando animam ad supremi Iudicis tribunal adductam magna trepidatione sententiæ fulmen expectantem S. Brigitta, pro qua intercedebat apud Deum S. Jacobus, quem femina illa degens in corpore pie coluerat, dicebatque: « O Domine, miserere, quia voluit, et non potuit, quia infirmitas obfuit, virumque defectus, quo minus, quod habebat in votis, exequeretur. » Tum Iudex ad animam conversus: Vade, inquit, fides tua et voluntas bona te salvant. Quo audito illa lætitia exiliens ad instar fulgentis stellæ abiit, Angelique adstantes, Deo laudis Canticum insonuere dicentes: « Benedictus sis, Domine Deus, qui es, qui eras, erisque semper, quia misericordiam tuam non auferis ab iis, qui sperant in te. » Verum hic prudenter discutiendum est, an vere virum defectus et imbecillitas ab operis aggressionem et executionem impediatur; an non potius abjectio quædam animi, et torpor atque segnitias, laborisque fuga nos remoretur. Adit aliquando B. Annam de S. Bartholomæo sanctimonialis precum subsidium ab illa efflagitans, ut difficultatem aliquam pervinceret, asserens sibi ad id vires non suppetere; dum acquiescens ejus desiderio B. Anna Deo illa supplicat, ecce Deum audit respondentem, alteram illam mentiri, vires illi non dessee, sed voluntatem et conatum. Nec dubitem, quid simile multis accidere, quos cum ad aliquid pro gloria Dei difficultius capessendum hortaris, respondent, se non posse, vires tantæ rei pares sibi non esse, hoc est: Nolo cum tantis, quas prævideo in isto, ad quod me hortaris, difficultatibus col-

luctari, malo pacem, quam bellum; et tantillum perfectionis tantum non emo.

## DUBIUM XXXIV.

## De Pietate.

Legerat aliquando Philothea ex S. Paulo pietatem ad omnia utilem esse; quia tamen eandem varie explicari intellexerat ab Ascetis et Interpretibus, dubitat quid proprie per eandem intelligere debeat.

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, tres communiter species pietatis assignari. Prima, quæ *innata* dicitur, sive affectio quadam ab Auctore nature omnibus indita ad alii beneficiendum. Secunda *acquisita*, juxta regulas rectæ rationis animæ inducta, quæ eos, qui causæ nostræ ortus atque educationis extiterunt, præ cæteris commendamus. Tertia et veræ pietatis species, quæ Deo obsequium præstamus, omnemque venerationem et reverentiam exhibemus, et hæc omnium excellentissima est; quam ut intelligamus, sciendum est, multis nos orationibus, ac motivis teneri obsequium, venerationem, observantiam, et cultum Deo optimo maximo exhibere. Primo, ut *Majori*; est namque id virtuti huic proprium munus, majoribus nos reddere obsequentes. Secundo, ut *Domino*, cuius sunt omnia, quæ habemus, atque hoc directe ad justitiam spectat. Tertio, ut *summo Benefactori*, et bonorum omnium Largitori. Quarto, ut rerum omnium *Conditori*, ac principio nostro, cui propterea supremum cultum debemus ex virtute Religionis. Quinto, ut *Patri*, qui nos per gratiam suam in filios adoptavit, atque ita omnem a nobis cultum promeritus, et honorem; quo respexit Apostolus, ad Titum scribens, his verbis: « Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, id est, peccati lethalis statum, et gratiam justificationis adepti, sobrie, juste et pie vivamus in hoc seculo.

Pietas in Religione proprie, maximeque consistit, de qua vera sapientia, veraque felicitas et beatitudo, id est summum hominis.

bonum resultat, juxta Ecclesiam: « Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo; » siquidem vera pietas, seu Religio, vera fides, spe et charitate constat, quemadmodum eleganter ostendit S. Aug. in *Enchirid.* ubi inter cætera sic scribit: « Hominis sapientia pietas est, habes hoc in libro S. Job; nam ibi legitur, quod ipsa Sapientia dixerit homini, ecce pietas ipsa est Sapientia. Si autem queras, quam dixerit eo loco pietatem, distinctius in græco reperies *θεοσεβεία*, quæ est Dei cultus. » Cap. 1.

Et hic primus Christianæ pietatis est gradus, quo Gentium Doctor Paulus ad Timotheum respexit, inquit: « Exerce te ipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; Pietas autem ad omnia utilis. » Ad Tim. iv. 8.

Quam S. Aug. definit in hunc modum: « Pietas est verax veri Dei cultus, unde omnia recte vivendi officia duci oportet. Atque hæc ea est, docente Apostolo, innuente Bernardo. » S. Aug. ad Macedon.

## DUBIUM XXXV.

## De Habitatione Animæ.

Audierat aliquando Philothea celebre illud axioma allegari: « Anima magis est ubi amat, quam ubi animat; » sed cum sensum et rationem illius non satis assequeretur, eundem sibi explicari cupit, cui

## SOLUTIO.

Respondet Asceta cum S. Alberto M. dicens: « Trahit amor amantem se, et collocat eum in amato, faciens intimissime adherere. Plus enim est anima ubi amat, quam ubi animat; quia sic est in amato, secundum propriam naturam, rationem, et voluntatem; sed in eo quod animat, tantum est secundum quod est forma, quod elui brutis convenit. Ex quo quis recte coneluserit arctiorem inter amantes, quam corpus inter et animam, unionem reperiri. Ecce igitur, quam bonum et quam jucundum, habitare Fratres in unum. » S. Alb. M. lib. de Deo ad hom. c. XII.

Que divinus Doctor Augustinus Religiosis exponens ait: « Qui sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis verum, quod scriptum est, una anima et unum cor. Multa quidem corpora, sed non multe

animæ; multa corpora, sed non multa corda. Ut nescio, quo nominis homine illud Anagramma: *Jonathas et David*, NOTIE UNITAS DATA est, verissimum hic comprobetur.

## EBRIETAS.

## QUOAD ESSENTIAM.

**DEFINITIO.** Ebrietas est excessus in potu voluptatis causa, donec rationis usus adimat. Vel, ut alii volunt, est privatio usus rationis ex immoderato usu rei potabilis ad tempus facta. Dicitur ab *e*, id est, *sine*, et *briam*, quod mensuram significat, ita ut ebrius idem ac *extra briam* significet, uti S. Thomas notat. LAYM. l. III, ser. iv.

**DIVISIO.** Dividitur a S. Th. et aliis in ebrietatem pro ipsa rationis privatione sumptam, et in ebrietatem pro actu potandi causativo prædictæ privationis acceptam.

Alii in *materialem* et *formalem* dividunt; illam vocant, quando alia de causa, quam voluptatis gratia potus inebrians sumitur; istam, quando propter solam voluptatem se quis per potum inebriat. Alii denique in *plenam* et *plensissimam* dividunt, quarum prior rationis dumtaxat, posterior vero etiam exteriorum sensuum usum magna ex parte tollit.

**ACTUS.** « Tantum bibendo excedere, ut ratio quidem non omnino tollatur, sed tamen perturbetur; » quæ *crapula* vocatur, de qua S. Aug. locutus est dicens: Ebrietas longe est a me, misereberis, ne appropinquet mihi; *crapula* autem nonnumquam subrepsit servo tuo. S. AUG. X. *Conf.* c. XXXI.

« Bibere usque ad rationis privationem: » qui excessus a modernis scriptoribus etiam *tumulentia* vocatur, quæ rationem penitus labefacet ac tentet. P. GOB. *de Acc. Can. c. v.* n. 9.

« Etiam usque ad privationem externorum sensuum bibere; » quæ *perfectissima ebrietas* merito vocatur. Ib. c. XXI. n. 14.

**SIGNA EBRIETATIS.** Primum signum est, si quis postridie non meminerit, quid dixerit, aut egerit; nam, cum ratio etiam vim reflectendi se super actus, saltem potiores, habeat, recte colligitur, hæc vi ablata, rationis usum non adfuisse. LESS. l. IV, c. III, n. 30.

Secundum, si commisit, quæ alias com-

mittere non solet; nam ejusmodi actus merito ex spita ratione provenisse presumuntur. Idem l. c.

Tertium est, si inter bonum malumque non amplius discernere queat. Idem l. c.

Quartum, si non tantum pedes vacillent, et domus everti videantur, sed etiam lingua balbutiat, et objecta duplicia appareant. P. GOB. *loc. cit.* XXXI, n. 7.

## EX S. SCRIPTURA.

**FUGA.** Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ; et superveniat in vos repentina dies illa. LUC. XXI, 34.

Expergiscimini ebrii, et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine; quoniam perit ab ore vestro. JOEL. I, 5.

Noli Regibus, Lamuel, noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, ne forte bibant et obliviscantur judiciorum, et mutant causam filiorum pauperis. PROV. XXXI, 4.

Neque fornicarii, neque adulteri etc. neque ebriosi Regnum Dei possidebunt. I COR. VI, 9.

Sacerdos et Propheta nescierunt, præ ebrietate absorpti sunt a vino; erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium. ISAIAS, XXVIII, 7.

Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor. OSEE, IV, 11.

Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos. ECCL. XIX, 2.

Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens. PROV. XX, 20.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed replemini Spiritu Sancto. EPH. V, 28.

Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenderit in vitro color ejus; ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. PAUV. XIII, 31.

Cui vae? Cujus patri vae? Cui rixæ? Cui foveæ? Cui sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? PROV. XXIII, 29.

Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessionibus eorum, qui carnes ad vesendum adferunt; quia vacantes potibus et symbola dantes consumerunt et vestietur pannis dormitatio. Ib. 20.

Operarius ebriosus non locupletabitur; et qui spernit modica, paulatim decidet. ECCL. XXXIX, 1.

Qui suavis est in vini devorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam. PROV. VII, 11.

Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem! ISAIAS V, 2.

Vae qui potum dat amico suo, mittens fel suum, et inebrians, ut aspicias nuditalem ejus! HABAC. XV.

Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam. ECCL. XXXVII, 34.

Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum et pingua, non ditabitur. PROV. XXI, 37.

Mulier ebriosa via magna; et contumelia, et turpitudò ejus non tegetur. ECCL. XXVI, 11.

Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester tanquam leo rugiens circumit, quærens, quem devoret. I PETR. VIII.

In calore eorum ponam potus eorum, et inebriabo eos, ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant, dicit Dominus. JER. LI, 39.

Diligentes in vino noli provocare; multos enim exterminavit vinum. ECCL. XXXI, 30.

Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ib. 39.

Ebrietatis animositas imprudentis offensio, minorans virtutem, et faciens vulnera. Ib. 40.

Vinum multum irritationem et iram et ruinas multas facit. Ib. 38.

Vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui. AMOS, II, 8.

## EX SS. PATRIBUS.

**QUALITAS.** Quid autem obstationes potentium loquar? Quid memorem Sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquit, pro salute Imperatorum, et qui non biberit, sit reus in devotione; videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O pie devotionis obsequium! O stultitia hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui estimant illos ebrietate placere, qui jejuniis passiones sustinere didicerunt! S. AMBA. l. *de Ebia et jejuni.*

Omnes ebriosi tales sunt, quales paludes

esse videntur. Nascuntur in illis sanguisugæ, ranæ, et diversa genera vermium, qui magis horrorem possunt generare, quam aliquid, quod ad victum proficiat, exhibere. S. AUG. S. CCXXXI.

Omnes qui ebrietatem sectantur, Filii Belial vocantur; quia venter mero astutus facile despumat in libidinem. S. HIER. in *Reg. Mun.*

Quis curus equorum indomitum ita præceps fertur dominum suum excutiens; quod navigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum et concussum, quod non sit securus ebrius? S. BASIL. hom. *de Ebriet.*

**FUGA.** Illud ante omnia rogo, et per tremendum diem judicii vos adjuro, ut illam fedam consuetudinem, per quam grandi mensura sine mensura tres homines, aut volentes aut inviti, solebant bibere, tanquam venenum diaboli de vestris conviviis respuatis. S. AUG. S. CCXXXI *de Temp.*

**DAMNUM.** Per hanc naturam corrumpitur, libidinis nutriuntur incendia, subvertitur ratio, scelera panduntur, homicidia fiunt, proferuntur stultiloquia, detractiones et verba scurrilia, hebetatur mens, maturitas relaxatur, lætitia inepta dissolvit, immunditia polluit. S. LAUR. JUSTIN *de Spirit. anim. interitu* l. I.

Omne bonum spirituale dissipant ebriosi, quia ebrietas est mors omnium virtutum et morum. Ebrietate fit jactura omnium honorum. Si habeat homo humilitatem, mansuetudinem, prudentiam, et cætera hujusmodi, omnia projicit in pelagus iniquitatis; sicut et ebriosi sæpe vestibus suis materialibus spoliantur, sic eorum animæ virtutibus denudantur. BELLOVAC. *Spec. moral.* l. III, p. VIII, dist. II.

Quæ est hominis structura adeo firma, quæ tantis ebrietatis malis resistat? Quis unquam madidum semper, et innatis vino corpus conservavit, ut non exile, dissolutum, et omnibus obnoxium morbis existat? S. BASIL. ap. MANSI, disc. XIX, n. 3.

Mel est, quod ascendit in labia; fel est, quod descendit in viscera.

An non videtis quotidie ex sumptuosissimis mensis, et immodica ingluvie, infinita morborum genera induci? Unde podagra? Unde capitis dolores? Unde corruptorum humorum abundantia? Unde innumeri alii morbi? Nonne ab intemperantia et largiore vini ingurgitatione, quam oportet? S. LAUR. JUST. c. XI *de Humil.*